




DE PHARMACA
SPECIATIM
CONFICIENDI, ET PARANDI
VERA METHODO,
Liber Secundus.



Totius huius Libri Divisio.



V^M de Delectu generatim simplicium
Medicamentorum : cum de modo ali
qua illorum parandi, aut Abluendo,
aut Nutriendo, aut Infundendo, aut
Macerando, aut Vrendo, aut Com-

burendo: cum de Trituratione, atque Decoctione,
quæ duo ab omnibus reputantur quammaximè ne
cessaria ad Medicamina componenda, orationem
fatis vberimam habuerim. Nunc ad eorum Stru-
cturam me conferre decreui. Quæ Medicamen-
ta ex varijs conflata simplicibus à Galeno, necnon
etiam à suis Maioribus Compositiones, Confectio-
nes, Pharmaca appellantur: etiam si Pharmaca nõ
tantum composita Galenus dixit, sed etiam simpli

Pharmacũ
etiã simplex
dicitur.

M 2 cia,

cia, cuius verba: *Granatorum succum liquidum ipsum expressum Pharmacum.* & subdit: *Ceterum ex aridis Pharmacis est Diphrige citra mordacitatem:* sic & aridas Rosas contusas Pharmacum vocauit lib. 4. per loc. c. 3. & lib. 1. cap. 1. & 2. & lib. 6. hæc: *Si cognouerit Simplicium Pharmacorum facultates.* Non rarò sub hoc nomine Pharmaci Medicamentum purgans exprimitur, & intelligitur, vt varijs in lib. à Galeno scribitur, & maximè lib. 5. Aphor. 1. vbi legitur: *Ob efficaciam Pharmaci fieri conuulsionem.* Interdum quoque Compositiones, quæ tamen per os desumuntur, Antidota appellantur, de quibus infra.

Variæ exstant Medicamentorum Formæ, atque Naturæ, quæ à Medicis imperantur; vt ab ipsis, aut ore desumptis, aut foris admotis tali modo paratis, sub tali Forma, vel Consistentia, vt multis placet, optatos illi assequantur fines: Aliqua enim sub liquoris natura continentur, vt Infusa, Decocta, Serapia, Miua, & Olea: Nonnulla sub Aridorum forma, vt pulueres, quæ recentiores species vocant, & Collyria, & Trochisci: & Quædam mediam naturam sortiuntur; cum in puluerem redigi non possint, nec fluida exstant, talia sunt Electaria, seu Antidota, Pilulæ, Conseruæ, Eclegmata, Emplastræ, Vnguenta, & Cerata: horum tamen aliqua magis ad naturam aridorum accedunt, & aliqua liquidorum quoquomodo conditionem seruant. Sed hac distinctione silentio inuoluta, ne confundamus Serapia in nostra narratione cum Oleis, & Antidota cum Ceratis, vel Vnguentis, vel hæc cum Pilulis.

lulis. Diuidemus totum hunc librum in duodecim
Commentaria, sequentes Mesue vestigia, qui prius
de Medicamentis, quæ per os desumuntur, postea
de illis, quæ foris admouentur, orationem fecit.

- In I. De Infusis, & Decoctis.
In II. De Speciebus, seu Pulueribus.
In III. De Zulapijs, & Serapijs.
In IIII. De Eclegmate, seu Lohoc.
In V. De Electarijs.
In VI. De Rotulis, & Conseruis.
In VII. De Trochiscis.
In VIII. De Pilulis.
In IX. De Collyrijs.
In X. De Oleis.
In XI. De Vnguentis.
De Emplastris.
De Ceratis.
In XII. De Salibus, & de illis quæ Destillatio-
ne parantur.

De quibus etiam si Mesue varijs in libris verba ha-
buerit: attamen aliquo loco particulari de his mini-
mè sermonem suscepit. Sed antequam ad narratio-
nem horum deueniamus, prius de Ponderibus, &
Mensuris à nobis aliquid in medium est afferendū;
his enim inalteratis optima Pharmacorum compo-
sitio intèrturbatur, & vitiatur.

Duo

Duo esse necessaria ad cuiuscumque Antidoti structuram, Simplicium, id est Delectum, et eorum Mensuram, et Pondus à Scriptoribus præscriptum demonstratur.



NTEQVAM narrationem Medicamentum Compositorum aggrediar, duo memoria digna Pharmacopeis proponere decreui, quæ perpetuò ab ipsis in quacumque Antidoto paranda seruanda erunt, quæ sunt, Simplicium omnium, quibus illa conficiuntur, Delectus, eorumq. tale Pondus, talisq. Mensura ab Autoribus præscripta; ab optimis enim, & vigorosis Componentibus validum, & perfectum suscitatur Compositum, & ab horum tali Pondere, & Mensura quædam determinata Proportio totius Medicamenti emergit, quæ summo labore, summaq. industria ab inuentoribus excogitata, adinuentaq. fuit; quæ si à Seplasiarijs negligantur, procul omni dubio, Pharmacum imbecille, imperfectum, & sine proportionem euadit; quod non raro evenit; nam aliqui illorum, quos arbitror esse paucos, humanitatis erga miseros infirmos omnino expertes Simplicia ad composita efficienda improba, adulterata, vitata, vetustate, carie, & putredine, aut situ contaminata sumunt; maximè si talia è longinquis Regionibus ad nos deferantur, aut magno vendantur pretio. Sunt hæc Aromata omnia, Rhabarbarum, Scammonium, China, Salsa, & similia,

Errores varij.

milia, necnon etiam Tamarindi, & Casia, quam humiditate propria priuatam aqua irrorant, aut cel-
lis subterraneis seruant, aut spongia aqua imbuta
saepe detergere fingunt, vt humescat. quænam gra-
uiores possunt isti committere peccata? & profectò
vix mente ego concipere possum adinueniri homi-
nes ita arrogantes, impios, & scelestos, sicuti etiam
mihi persuadere non possum reperiri aliquos, qui
audeant dedita opera loco alicuius simplicis medi-
camenti, aut *compositi*, quæ magno pretio emun-
tur, exhibere infirmis aliquod vile, & morbo fortè
repugnans. Viruperandi sunt etiam illi, qui negle-
ctis Ponderibus, aut Mensuris Simplicium ab Au-
ctoribus præfixis, oculo tantùm iudice medicamē-
ta conficiunt. Enimuerò aliqui cuiuscumque Pon-
deris determinatam grauitatem ignorant, & cuius-
cumque Mensuræ molem, & rerum in ipsis conten-
tarum pondus, necnon etiam nominum quorum-
dam ad pōdera attinentium significationem; ideo
*non solum vtile fore existimaui hæc omnia illis pa-
tefacere, sed etiam necessarium: ne ignorantia du-
cti in tam graues errores labantur.* De Ponderibus
igitur aliqua primò, & postea de Mensuris, ob ocu-
los à nobis ponenda erunt vobis.

Pondera, quæ pro Pharmacis componendis à
Medicis vsurpantur, & Pharmacopœis præscribun-
tur, sunt Libra, Vncia, Drachma, Scriptula, Oboli,
Siliquæ, & Grana. Attrarò hæc vsu veniunt Aureus
scilicet Deunx, Dextans, Dodrans, Bes, Septunx, Se-
xunx, Quicunx, Triens, Quadrans, & Sextans.

Libra

- Libra.** Libra habet vncias duodecim, vt Gal. multis in locis, Aet. & Paulus, vbi de Ponderibus.
- Vncia.** Vncia drachmas octo, teste Galeno 6. de Comp. Med. per loca, & 1. per genera, quod confirmatur à Paulo, & ab Aetio, quas Denarios Romani appellabant, vt legitur lib. 8. per loca, cap. 3. & lib. 2. per gen. cap. 2. hæc: *Denariorum pondo octo, hoc est vnciam vnā.* & 4. per genera: *Vncie duæ sunt denarij sexdecim.* Diuiditur igitur vncia vna in drachmas octo, & nō nouem, vt Seplasiarij Veneri somniant, sicuti sequēti capite patefaciam.
- Drachma.** Drachma in Scriptula tria distribuitur, quod reliquit scriptum Paul. & alij, vt lib. de Ponderibus Galeno adscripto narratur, at de drachmæ diuisione in Scriptula Gal. minimè sermonem habuit, sed eam in obolos secauit.
- Scriptulus.** Scriptulum duos obolos pendet, sicut Paul. vnde drachma sex obolos habet, quod ante ipsum cognouit Gal. lib. 6. per loca, c. 1. cuius verba: *Sandarachæ drachmæ dimidium, hoc est oboli tres.* quod etiam confirmauit Serap. in suo Antidotario sic: *Darchimet est oboli sex.*
- Obolus.** Obolus siliquas tres pendet, vt lib. de Ponderibus Galeno attributo.
- Siliqua.** Siliqua grana quattuor habet, sicuti ibi legitur, has Serapio Kirat vocauit, hæc dicens: *Omnis obolus ex Chirat tribus, & omnis Chirat est quattuor grana hordei.* Vtebatur interdum hoc pondere Kirat Mesue cap. de Colocynthide, vbi sic: *Dosis ipsius est à Karaētis sex, ad decem.*

Faba

Pharmaca parandi, Lib. II. 97

Faba Græca duos obolos pendet, vt Serap. & Aegyptia obolos quattuor.

Faba Græca, & Aegyptia.
Aureus.

Aureus excedit pondere drachmam, septem, aut sex granorum, vt multis recentioribus placet, etiā si aliqui decem excedere statuunt. Grauiorem esse secundum Mesue sententiam drachmam nemini est obscurum; nam varia Catapotiorum genera iubet exhibenda esse à drachma vna ad aureum vnum, & Confect. Hamech à drachmis duabus ad Aureos duos. At Serap. fuit anceps, nam primò affirmat Aureum pendere drachmam, postea Cochlearium esse aureum vnum & drach. vnam.

Est Mina pondus centum Denariorum, cuius quarta pars vigintiquinque denarios efficit, sicuti 5. per genera scribitur.

Mina.

Deunx	Denotat	Vncias	Vndecim	xj	11
Dextans		Vncias	Decem	x	10
Dodrans		Vncias	Nouem	ix	9
Bes		Vncias	Octo	viii	8
Septunx		Vncias	Septem	vii	7
Sexunx		Vncias	Sex	vi	6
Quincunx		Vncias	Quinque	v	5
Triens		Vncias	Quattuor	iiii	4
Quadrans		Vncias	Tres	iii	3
Sextans		Vncias	Duas	ii	2

Hæc ab Actio vsurpata sunt; sed etiam multa à Gal. vt lib. 4. de Comp. per genera, scribitur. De his, ne longam orationem suscipiam, satis; nam

N cuius-

cuiuscumque ponderis legitimam, ac veram gravitatem accuratè, & diligenter, quocumque ipse labore Excellentiss. Dom. Albertus Quatrocchi vestigavit, quam omnibus aperiet in libro, qui inscribetur de Ponderibus ad mentem Antiquorum,

Divisionem Vncie in nouem drachmas à Pharmacopœis Venetis nullo fundamento posito adinueniam fuisse affirmamus, et hanc Medicamentorum proportionem destruere demonstramus.



RAVES errores reuera à nonnullis Pharmacopœis in dies committuntur circa Simplicium Delectum, eorum Coctionem, Attritum, Ablutionem, Aduftionem, Structuram, aliaq. multa, quæ breuitati studens omitto. Sed omnes Veneti praua cōsuetudine ducti grauissimo in errore versantur perpetuò, dū Vnciam in nouem drachmas distribuunt; cum nullus adinueniatur Medicus, siue Græcus, siue Arabs, qui tali vsus sit diuisione: quoniam Galenus lib. 9. de Compon. Medic. per loca, cap. 2. sic: *Seminum Dauci drachmas octo, scilicet vnciam vnā*: è cuius verbis dilucidè patet Vnciam vnā drachmas octo pendere, quod multis alijs in locis affirmavit, vt i. per genera, im mo 8. de Comp. Med. iam dicto, narravit fortè ad mentem aliorum in drachmas septē cum dimidia diuidi vnciam; non discedit à sententia Galeni Paulus, sic etiam multi alij, qui in libello de Ponderibus, & Mensuris Galeno adscripto inueniuntur,

niuntur, & inter Arabes quifnam reperitur, qui vnciam in nouem drachmas distribuat? fortè Auic. Rhafis, Mefue, vel Serapio? qui in his ab oculos ponendis fatis diligens fuit: immo, fi eius dictis acquiefcendum, decernendum erit vnciam in octo fecaffe drachmas Græcorum Medicorum veltigia fequens; nam affirmat, ficut etiam Gal. drachmam pendere obolos ſex, & vnufquifque obolus Chiratii, ſeu filiquas tres, quarum grana vnaquaque quatuor habet. Quapropter ſtatuendum erit & in ponderibus, ſicut etiam in menſuris iſtos antiquorum Græcorum mandata ſequutos fuiſſe. At dicet aliquis, ſi Mefue pro firmo habuiſſet octo drachmas vnciam conſtituere, in ſuis deſcriptionibus octo drachmas alicuius ſimplicis non poſuiſſet, ſed huius vnciam vnā, quod tamen eſt falſum; nam in apozemate Adianti ſic: *Lupuli, violarum ſeccarum ana drach. octo*; multis in alijs Confectionibus drachm. quatuor, in alijs duodecim, & in multis ſexdecim, quibus in locis ſcripſiſſet vnciam mediam, vnciam vnā, & dimidiam, & vncias duas: quæ omnia quoquomodo deſtruere noſtram ſententiam videtur: at ſi ad memoriam reuocentur illa, quæ à Gale-
no, & à multis alijs, qui ante illum medicinam faciebant, circa talem ſcribendi modum prolata fuerunt, conſeſtim è medio tolluntur tales dubitationes; nam mille in locis Gal. loco vnciæ, drachmas octo deſcribit, dimidiæ quatuor, duarum ſexdecim, trium vigintiquatuor, & ſic de alijs; at tamen notum eſt omnibus, ſecundum eius ſenten-

tiam vnciam vnā drachmas octo pendere, quas & sæpe denarios dixit: exemplo sit nobis Theriacæ descriptio, in qua drachmæ, & non vnciæ pondus Simplicium denotant, etiam si multa eorum sub vncijs collocare potuisset autor, vt *Pastillorum Scillinorum drachmæ quadraginta octo*, quæ vncias sex constituunt, sic & aliorum subsequen-
ti quattuor, quæ tres vncias pendent: attamen antiqui illi rarò vncijs in descriptionibus utebantur; sed ferè semper drachmis; vt fortassè notam facerent lectoribus proportionem Simplicium quò ad pondus Antidotorum componentium: sicut in Theriaca videre licet, non est igitur in consonum rationi, affirmare, Mesuë & in hoc, sicut etiam in alijs seniores Medicos, & potissimùm Galenum imitatũ fuisse, præcipuè cum in Hiera ab ipso adinuenta scribat *Agarici drachmas nouem*, & nō vnciam vnā: si enim statuisset vnciam constitui ex nouem drachmis, scripsisset, vt verisimile est, vnciā vnā. hæc, ni fallor, possunt, nisi admodum pertinaces Pharmacopei existant, à tam graui errore ipsos auertere. Ab hoc enim Compositiones innumeræ, quarum pondus à Drachmis, & Vncijs, aut Libris desumitur & drachmis, ita peruertuntur, vt proportio illa Simplicium simul confusorum, à qua forma totius Antidoti confurgit, summa diligentia à Maioribus nostris adinuenta, pereat: nam priuantur determinata quantitate Simplicium ab Autore instituta: quod nobis Theriacæ exemplo euadet ad aptum. Pendent Simplicia omnia hanc confectio-

nem

nem componentia drachmas cccclij. quæ constituant uncias quinquaginta, & drachmas duas, si Venetos sequamur Sephasias, at si Gal. ceterosq. Medicos, qui hanc Antidotum adinuenerunt, & litteris prodiderunt, uncias quinquaginta sex cum dimidia, his addunt mellis libras decem Scriptores omnes referente Galeno, & Antidotum parant: nonne adapertere patet minorem quantitatem Simplificium quò ad pondus existere in Theriaca, quæ Venetis drachmis conficitur, quàm in illa, quæ Græcis, aut Romanis? illa enim quinquaginta uncias, & duabus drachmis constituitur; & hæc quinquaginta sex cum dimidia: unde in singula mellis libra existunt aliorum ingredientium uncia quinque cum dimidia, & drachmæ duæ, & scriptulum circiter vnum, at in illa quinque solum uncia in libra vna mellis: quapropter confectio tota ignaua, & imbecillis redditur ad proprias obeundas operationes. hoc etiam euenit Confectioni Alchermes, Diasatirio, Diacimino, Triphera Persicæ, elect. Indo, Elefscoph, Hamech, Rosato, Dyacydoniti, & multis alijs, quæ, ne tempus verbis conteram, silentio inuoluo. Hi non tantum in componendis Antidotis dicta errata committunt; sed etiam minori eorum quantitate exhibitâ, postquam confecta fuerint, immaturum interitum ægris afferre possunt, aut morbum natura breuem protrahere, quod etiam euenire pro firmo est censendum in Simplificium medicamentorum pondere: si enim aliquis drachmam vnâ Dictamni præscribat, quæ uncia est

octaua

octaua pars, minorem quantitatem præbebunt; cū in nouem partes, seu drachmas diuidant vnciam. Ne igitur in tam graua peccata Seplasiarij Veneti rapiantur maximo cum detrimento egrotantium, in futurum statuendum erit secundum Gal. mentem, aliorumq. grauium Scriptorum vnciam in octo drachmas tantum diuidi, atque secari, quæ fortè vncia, vt nonnullis placet, grauior est vncia Venera, sed his prætermisissis de Mensuris aliquid est dicendum à nobis.

De Mensuris.



ST Mensura capacitas quædam, seu Vasculi, vt Paulo placet, concauitas, quarum in ipsa contentarum moles iudicatur, quod reliquit etiam scriptū Gal. lib. 1. de Comp. Med. per genera, c. 12. sic: *Unciæ grauitatem corporum decernunt & mensurales molem.* Est tamen capacitas tam humidæ, quàm siccæ quantitatis mensura, si credendum Paulo, quarum omnium, sicuti etiam & ponderum exstant multæ differentię pro Regionum diuersitate, & vtentium cōsuetudine. Sed quoniam non rarò Scriptores in medicamentorum aliquorum descriptione Mensuris quibusdam vtuntur, quæ apud Pharmacopœos fabricatæ minimè inueniuntur: necessarium est in medium afferre Pondera, & potissimum Aquæ, Olei, Vini, & Mellis, quæ ipsis respondere possunt, & adaptari: nam etiam si eadem sit Olei, Vini, & Mellis

Mellis mensura: attamen horum omnium non idē pondus: *Liquidorum enim corporum, sicut etiam solidorū Gal. teste 6. de Comp. Med. per genera, cap. 8. alia grauiora, & alia leuiora existunt. Quapropter Paulus hac in re diligentissimus statuit Mensuras Medicas quorundam liquidorum grauitate inter se dissidentium proportionē quadam à melle desumpta pondere cognosci, cuius sunt verba: At si uoles & ponderum liquidorum mensuram scire, per multa liquidarum rerum in examine suo differentie habentur, ut in Olei, Vini, & Mellis exemplo dicemus. Mel igitur vino ponderosius quarta parte, itemq. decima. quo fit, ut ferè tertia ponderis pars melli accedat; capit enim integram huius mensuram, & insuper trientem. Mel autem oleo ex media parte grauius; continet enim totum olei modum, & ultra semissem. Vinum oleo nona parte supereminet; totum enim ipsius pondus continet, & nonam ipsius partem. Quò autem res fiat dilucidior, ceu exemplo, particularium Mensurarum Pondus subiungemus. Attamen sicuti ab experientia pater, Oleo non solùm ex media parte Mel est grauius, sed etiā excedit tale pondus, quod per optimè perspectum fuit à frequenti nostro Collegio, dum de libra mensurali olei, & mellis periculum fecerunt: unde statuendum erit Paulum perfectissimam horum assequutum non fuisse cognitionem. Nunc autem ad particulares descendam mensuras.*

Est libra Mensuralis capacitas quædam decent vncias olei ponderales continens. quod litteris tradidit Gal. lib. 6. de Comp. Med. per genera, c. 8. sic:

Ego sanè libram olei Romæ vocatam, quam per dissecta cor-

nua

Libra mensuralis olei quæ.

nua metiuntur, ponderavi quandoque cupiens scire quantum gravitatis pondus contineret. inveni duodecim olei mensurales decem uncijs ponderum equales esse.

Pendet igitur libra vna mensuralis.

Olei vnc. x.

Aquæ vnc. xj.

Vini vnc. xj. & dr. j. scr. ij. & gr. viij.

Mellis vnc. xv. cum dimidia, & grana xv. circiter, & quandoque quadraginta pro diuersitate mellis, aut eius cocturæ.

Sextarius.

Sextarius Olei capit uncias viginti mensurales, si de Sextario loquimur Romano, quod nos docet Galenus lib. i. de Comp. Med. per genera, cap. 16. his verbis: *Sextarij Romani Heram meminisse puto; nam apud Athenienses, neque mensura, neque nomen erat. Sextarius apud Romanos continet uncias viginti, quas cornibus metiuntur: nonnulli autem falsò Romanum Sextarium opinati sunt octodecim mensuralibus uncijs valere.*

Pendet Sextarius Olei vnc. xvj. β. dr. j. & scr. j.

Aquæ vnc. xvij. dr. ij. & scr. ij.

Vini vnc. xvij. β. dr. j. scr. ij.

Mellis vn. xxv. d. vj. β. scr. j. g. xv.

Sed Paulus Ægineta decreuit oleum, quod in Sextario cōtineretur, pendere uncias decem & octo, Vini vnc. viginti, & Mellis vnc. viginti sex, in nonnullis exemplaribus vigintiquinque cum dimidia, quæ aduersatur proportioni ab ipso propositæ: nisi dicamus Mensuras, aut Pondera ab illis à Galeno differre; aut ab impressoribus aliqua errata commissa fuisse. Nec mirum; nam Oribasius secundum

Adamant-

Adamantium statuit Sextarium Italicum *vini mensura unciarum vigintiquattuor esse, pondere verò uncias viginti; cum Sextarius mensuræ mellis duas libras, & semissem pendeat. Sed à Dioscoridis dictis elicitur pendere uncias vigintiseptem.*

Cyathus capit olei vnc.vnam, & dimidiā, quod pendet vnc.vnam, & drachmas duas.

Cyathus
quid.

Hemina olei in se continet uncias mensurales novem, ponderales autem septem cum dimidia, hoc nos docuit Gal. lib. 5. de Comp. Med. per genera, c. 6. sic: *Hemina Attica Italicas uncias novem conficit; pendent enim novem Italicae unciae mensurales septem uncias ponderales, & dimidiam, quæ sexaginta Denarij sunt, singulis uncijs octo denarios recipientibus, & lib. 6. hæc: Cum varie sint Heminae; multi enim novem uncijs Romanae librae, & alij sexdecim illas conficiunt. Concludit novem Heminam esse unciarum mensuralium. at Heras, ut legitur lib. 1. per genera, cap. 16. putavit Heminam Sextarium medium, seu uncias decem ex librari cornu indicare.*

Hemina
quid.

Hemina igitur capit uncias novem olei mensurales, quæ pendent uncias septem, & dimidiam.

Aquæ ponderales vnc. octo, & drach. duas.

Mellis vnc. vndecim cum dimidia, dr. j. & g. vj.

At Paul. uncias novem olei ponderales, vini decem, & Mellis terdecim esse Heminam putavit, quæ Galeni dictis aduersantur, cuius sententiam sequi decrevimus.

Cotyle, & Hemina idem est, quæ etiam Cotula à nonnullis vocatur. & hæc exstât pondera liquido-

Cotyle.

O rum,

106 De vera Meth. Phar. par. Lib. II.

rum, quę in iam dictis Menfuris contineri possunt, in quibus fortè aliquis error à nobis commissus fuit circa granorum numerum : cū perarduum sit Lancem omnino perfectam adinuenire.

Modius.

Est Modius Italicus, seu Ægyptius aridorū mensura Chēnices octo continens, quę decem solent æquare libras ponderales : *Sed huiusmodi Mensurę Ponderus exponere haud facile est ; quod aridarum rerum, (immo et Salis) infinite iuxta momenti Lancis rationem differentie existant, sicuti posteritati scriptum Paul. reliquit.* Nos autem in Sale theriaco viginti libras Salis modium ad Aetij mentem pendere statuemus.

